



37

semper tamen ignem sopivimus, ita quod clamor nullus fuit factus. (14A) In secunda tamen vice vicini tectum ardere videntes cum eulatu et clamore accurrerunt, nos vero cum scalis tectum ascendimus, et materiam flammis detraximus.

In hoc casu non in modico eramus periculo, quia, si ignis invalisset, omnia concremata fuissent, et ipsi graeci Corcyrenses domus suas cum detrimento vitae nostrae vindicassent; sunt quippe Alemannis multum infesti, et faciliter contra eos insurgunt. Igitur, cum manducassemus, litteram, quam Venetorum Senatus nobis tradiderat, ad Capitaneum maris (tulimus), eidem cum reverentia praesentavimus; petentes ejus consilium et auxilium in causa nostrae peregrinationis. Qui litteram legens consuluit nobis, ut cum galêa nostra Venetias revertere-remus. Hoc autem cum grave nobis esse perpendisset, cum quadam indignatione dixit: Quae insipientia est in vobis, quod tanto discrimini, corporis et animae, vitae et substantiae, vos vultis exponere? Ecce iam mare repletum est crudelissimis turcis, quorum manus nullatenus poteritis evadere. Revertimini Venetias, aut in aliquo maris portu manete, donec meliores rumores audiantur. Si autem vos omnino vultis in orientem nunc proficisci, provideatis vobis de navigio, galêam istam, in qua venistis, ego non dimittam, quia S. Marci est. Hoc cum audissemus, turbati multum a viro recessimus, tempus delib-erandi petentes. Interea verbis capitanei confractae sunt mentes multorum, praesertim illorum episcoporum, qui cum omni familia sua decreverunt remeare Venetias. Aliqui etiam de militibus nostris formidulosi erant, et ad retrocedendum parati; aliqui vero fortes et imperterriti erant, cum quibus et ego steti, et timorosos, quantum potui, animavi et confortavi, praedicando eis et allegando ex sacris scripturis, quae poterant in spem divini auxilii eos erigere. Contigit autem die quadam, me absente, quod domini milites societatis meae colloquebantur de nostra periculosa peregrinatione, et aliqui eam consulebant, aliqui vero dissuadebant formidulosi. Inter quos unus dixit: Non oportet ad verba et hortamenta, quae dicit Frater Felix attendere. Quid sibi de morte aut de vita? Ipse est frater de observantia, et non habet divitias, nec amicos, nec honores nec alia quae in mundo sunt, sicut nos habemus. Facilius

052

050

056

046

061

041

101

001

151

Ende

Anfang